




SPECIMEN PHILOSOPHICO-JURIDICUM INAUGURALE

GENERALIORA QUAEDAM EXHIBENS

DE INTIMO RELIGIONIS AC ETHICES CUM JURE NEXU.

EX TYPOGRAPHEO D. NOOTHOVEN VAN GOOR.

S

PHILOSOPHICO-JURIDICUM INAUGURALE GENERALIORA QUAEDAM EXHIBENS

DE

IMO RELIGIONIS AC ETHICES CUM JURE NEXU.

SPECIMEN PHILOSOPHICO-JURIDICUM INAUGURALE
GENERALIORA QUAEDAM EXHIBENS

DE

INTIMO RELIGIONIS AC ETHICES CUM JURE NEXU,

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

NICOLAI CHRISTIANI KIST,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,


PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTET

JOSEPHUS JOANNES SUYS,

SYLVAE DUCENSIS.

DIE I OCTOBRIS MDCCCLI, HORA I—II.

IN AUDITORIO MAJORI.



LUGDUNI-BATAVORUM,
apud D. NOOTHOVEN VAN GOOR.
BIBLIOPOLAM.

7/23/29

PARENTIBUS.

Ab Jove principium.

VIRG.

PROOEMIUM.

Quum hodie haud pauci insana agitantur voluptate nova systemata cudendi, cuncta quidem innovandi, spretaque Majorum doctrina, dum infinito rationis humanae trahuntur progressu, quae ipsi non intelligunt somnia et deliria, aliis insigni progressus nomine obtrudunt; quis est, quaeso, sanae mentis auctor, qui sincere lectoris imploret benevoli indulgentiam, in tanta opinionum discrepantia, rerumque perturbatione?

Mihi certo, qui scribendi furore non agitor, multoque minus spe futurae allicior oblivionis, quae manet passim hujus generis opuscula, ast legum observantia compellor; mihi, inquam, cui veritas arridet antiqua, jus sit quae ex antiquorum horumque fauctorum scrip-

tis concinnavi placita, novis aliorum placitis et commentis opponere.

Plurima procul dubio obsoleta videbuntur: parum curo. Quod si nimium dura quibusdam videantur, non ad contumeliam aliorum, sed ad defensionem meam ea dixerim. Sin quis quid boni in hocce opusculo viderit, totum id muneris sui esse libenter confiteor: indulgentia siquidem verae scientiae umbra est, et certissimum hominis vere docti criterium constituit. Nisi forsan amicitiae causa id viderit, quo casu eadem certe benignitate mihi dignissimus habetur.

Tandem, ut dulcissimo perfungar officio, gratique animi obsequar necessitudini, gratias ago omnibus, qui mihi in studiis auxilio fuere, Tibique prae caeteris, promotor aestumatissime, vir clarissime Cock; quas factis referre, etiamsi mihi sperare vix liceat, ardet animus.

CAPUT I.

DE INDOLE ATQUE ORIGINE JURIS.

»Jus est ars boni et aequi. Cujus merito »quis nos sacerdotes appellet. Justitiam namque co- »limus et boni et aequi notitiam profitemur, aequum »ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, »bonos non solum metu poenarum, verum etiam prae- »miorum quoque exhortatione efficere cupientes. Veram «(nisi fallor) philosophiam non simulatam affectantes."

Pauca haec quae initio libri I Digestorum ex Ulpiano desumuntur, satis jam innuunt, quae fuerit mens veterum quantaque cum sollicitudine bonum et aequum conjunxerint, cuncta verae philosophiae superstruentes. Quorum si vestigia premere mihi liceat, nihilominus omni, qua par est diligentia, eorum, qui iis confusionem imprimis imputant perscrutabor doctrinam, ne jam admonitus in eosdem errores prolabar. Quare praetermissa vocis etymologia, quam alii cum Ulpiano a Justitia, alii a Jovis nomine cum Grotio aut a jubendo sive jussu derivari arbitrantur — quid enim interest, unde nomen juris descendat, quum

saepe nomina a sua prima impositione detorqueantur ad alia significanda, quae novis continuo acceptionibus originem dant? — id admonendum ante omnia censeo quod soli homini, quatenus intellectu gaudeat et libertate, jura conveniant. Hominem nimirum ratio suadet, nec urget necessitas. In quo si erraverit ULPIANUS, errarunt non minus AHRENSIUS, DAMIRON aliique, qui brutis non tantum sed et plantis quaedam jura vel juris specimina tribuunt.

Inquirenda imprimis rerum natura et illa vocabuli jus indicanda significatio, a qua caeterae veniant. Qua ratione sumitur pro attributo actionis, atque id omne significat, quod honestum, licitum et justum est. Quod si consideramus relate ad hominem nihil aliud est, nisi quodcumque in ordine morali, legi, de qua mox dicemus, consentiat; quare et jus pro lege accipitur. Ex hac juris significatione sua sponte profluit altera, quae ad personam refertur, quo sensu auctore GROTIO, jus est qualitas moralis personae competens ad aliquid habendum vel agendum. Eatenus enim alicui facultas illa competit, quatenus ipsi a lege aliqua conceditur.

Praeterea legi officia, juri obligationem necessario respondere nemo non videt. Lex enim sine officiis ab ea inductis et officia sine lege, a qua inducantur concipi omnino non possunt. Eodem modo et jus sine obligatione consistere nequit. Quamvis enim quodcumque jus non necessario obligationem proprie dictam adnexam habet; quum saepe fit, ut quis jus suum exerceat etiam si nulla omnino persona praestando aliquid vel agendo vel omittendo ad hoc concurrat; saltem juri respondeat oportet obligatio, quam vocant negativam, quaeque eo tendit, ne laedant jus illud alii omnes, quibus haec imponitur obligatio. Legi

proinde jura et officia, juri obligationes ita respondent, ut vere correlata dicantur nec opus est ut fusius hac de re disputemus.

Sedulo potius investiganda legis natura et indoles, qua hactenus dicta amplius elucescant oportet. Lex igitur latissime spectata non est nisi recta potestatis voluntas, qua ordinatur entis, ut loquuntur, existentia. Rerum essentiae ab aeterno existunt in mente divina. Aliquandò autem res ipsae sive mundus e manu creatoris prodiere, ut omnia naturae suae adaequatam ducerent existentiam. Ea nimirum ratione cuncta in unum concurrunt et ordinem rerum hierarchicum constituunt, quapropter mundus Universum merito appellatur.

Quaecumque adeo existunt Divinae potestati subsunt et recte in finem sibi proprium ordinantur. Continuata quippe creatione Deus hujus mundi Gubernator efficitur. Verum inter omnia hujus aspectabilis mundi entia, quae ex impetu quodam suae naturae in proprium finem diriguntur, solus homo utpote rationalis se ipsum in finem dirigit ac propter finem libere operatur. Porro libertas non est intelligenda quasi ea homo omni solutus sit vinculo; misera nimirum et lugenda foret praecellentia. Quantum, quaeso, praestaret, ut eadem necessitate natura legibus anima adstringeretur, qua corpus eisdem subjicitur. Nec dumtaxat ratione sui corporis homini incumbit necessitas; verum etiam in quibusdam ratione animae. Intellectus enim primis rationis nostrae principiis non potest non assentiri, ita ut impossibilis sit scepticismus in homine, qui non plane insanit, opponitur siquidem intellectui quasi mors vitae. Deinde ratione voluntatis nostrae liberae ita a natura constituti sumus, ut mens nostra necessario beatitudinem desideret: quo fit, ut ubicumque boni quaedam species relucet, ad illud se

inclinet, ubicumque autem malum aliquod cognoscit necessario abhorreat. Malum quatenus malum, utpote privatio realitatis et convenientiae, non nisi rationem aversionis seu fugae; bonum vero quatenus bonum, utpote conveniens et perficiens, non nisi rationem appetitionis vel prosecutionis habere potest. Desperati namque qui violentas sibi manus injiciunt non appetunt non esse, seu malum ratione sui; sed ratione immunitatis a calamitate vel angustia. Voluntas igitur caeca dicitur et sano, quo verum a falso discernitur intellectu, dirigenda, ut verum bonum non autem apparens falsumque appetat.

Huc spectat famosa de summo bono quaestio jam a mundi incunabulis inter Philosophos agitata. «Hoc »enim, ut ait CICERO, constituto, in Philosophia con»stituta sunt omnia.... nam summum bonum si igno»retur, vivendi rationem ignorari necesse est, ex quo »tantus error consequitur, ut quem in portum se reci»piant scire non possint; cognitis autem rerum finibus, »cum intelligitur quid sit et bonorum extremum et »malorum, inventa vitae via est, conformatioque om»nium officiorum.[1]

Innumerae olim viguere vigentque hodie de summo bono prorsus dissidentes sententiae. Nec mirum: prout quisque alicujus boni specie magis commovetur in eo summum bonum et consistere opinatur. Epicureis HIERONYMI RHODII et ARISTIPPI sententiam conjungentes, summum in voluptate atque indolentia bonum reponebant, virtutemque, teste CICERONE, censebant ob eam rem laudabilem esse, quod efficiens esset voluptatis.[2] Stoicis cum ZENONE et SOCRATE summum

[1] De finibus, L. 5.
[2] De finibus, L. 2.

bonum erat, e virtute et honestate vivere, nullamque neque doloris, neque morborum quin et mortis rationem habere. Vanum proh dolor! sapientiae delirium affectantes, beatam saepe vitam suicidio fugiebant. Peripatetici denique cum ARISTOTELE intellectui atque virtuti bona fortunae corporisque adjungebant, ut ex horum cumulo summum bonum consurgeret. Propius ad veritatem accessit PLATO, qui Divus inter philiosophos nuncupatur, primusque, teste CICERONE, Philosophiam vocavit e coelo. PLATO nimirum beatitudinem in Dei cognitione rerumque contemplatione, simul et in morum honestate et virtute constituit. Quibus insigne certo bonum comparatur; quod, modo cum spe futurae et perfectae felicitatis assequendae conjungatur, omnem praesentis vitae beatitudinem exhibet. Insatiabili equidem mentis nostrae desiderio non satis fit. Quamobrem indubitatum nobis est summum hominis bonum non nisi in altero futurae vitae statu obtineri posse. In eo siquidem *non per speculum in aenigmate*[1] sed *facie ad faciem videbimus Deum sicuti est.*[2] Qua visione quum nec mali speciem nec ulterioris defectum perfectionis percipiat intellectus, necesse est, ut voluntas irresistibili quidem vinculo, spontanea tamen et suavissima unione Deo perfectissimo conjungatur. Haec est quae Sacris Literis, suadente ipsa naturali ratione, innuitur Philosophia; nec paucis obsoleta videtur, qui deliranti indulgentes imaginationi, nova potius commenta generi humano obtrudunt. Ipsi videant: non insisto.

Insigne praeterea huc referendum videtur dogma, quod una generis humani conscientia arguente,

[1] 1 Cor. cap. 13.

[2] Joan. Epist. I, cap. 3.

de intrinseco inter bonum et malum morale discrimine admittitur. « Nihil est profecto praestabilius, ut ait » CICERO, quam plane intelligi, nos ad justitiam esse » natos neque opinione sed natura constitutum esse » jus..... Quae autem natio non comitatem, non » benignitatem, non gratum animum et beneficii me- » morem diligit? Quae superbos, quae maleficos, quae » crudeles quae ingratos non aspernatur, non odit? » Et inferius: « Haec autem in opinione existimare non » in natura posita vere dementis est. Nam nec arboris » nec equi virtus, quae dicitur (in quo abutimur no- » mine) in opinione sita est, sed in natura. »[1] Omnes autem unanimiter semper et ubique terrarum persuasum sibi habuere bonum a malo, honestum a turpi, justum ab injusto naturaliter distingui. Ita licet in plurimis differant, indubitanter omnes admittunt obsequium parentibus deberi, fidem in pactis esse servandam, haec aliis praestanda, quae sibi quis fieri vult. Similiter omnes conveniunt vituperium et supplicia mereri perjurium, parricidium, infanticidium, ingratum animum et alia plura. Eadem quippe ratione, qua prima rationis principia theoretica, quae vulgo axiomata dicuntur, ex sui natura animum in assensum rapiunt, nulla alia sane et principia practica ita mentem afficiunt, ut nullam omnino dubii possibilitatem patiantur. Quare itidem ante omnem conventionem et pactionem vera et inconcussa dicenda sunt. Quemadmodum igitur mens humana naturaliter et perpetuo nequit non assentiri veritatibus ut sunt: non est effectus sine causa, totum est majus sua parte; ita etiam naturali instinctu movetur, ut necessario assentiatur primariis propositionibus practicis,

[1] De legibus, L. I, cap. 2,

exempli gratia: parentibus honorem et obsequium praestent liberi, alteri ne feceris quod tibi non vis fieri etc. Deinde nisi hominis naturae insculpta esset lex illa: « quae, teste Cicerone, est ratio, » summa insita in natura, quae jubet ea, quae facienda » sunt prohibetque contraria, »[1] qua honestum a turpi, justum ab injusto naturaliter distinguitur, homo ex foedissimis etiam actibus a se patratis nullam deberet experiri remordentis conscientiae angorem, praesertim si secreto perverse egerit, si nullus omnino poenae luendae sit timor sed potius in proprium commodum scelus vertat. Nemo tamen est aut vix est, quem patratis quibusdam malis etiam in occulto et absque vituperii aut poenae timore non quandoque vexet conscii animi sollicitudo, qui non interdum invitus ipse sibi poena efficitur, teste enim Iuvenali:

Prima est haec ultio, quod se
Judice, nemo nocens absolvitur.[2]

Quin et eodem Iuvenali teste,

Has patitur poenas peccandi sola voluntas.[3]

Unde quaeso conscientiae angor, qui omnes aut pene omnes semper et ubique sontes exagitat, originem habet nisi a communi omnibus natura? Deinde res eadem conficitur ex tacita virtutis approbatione. Nemo est, qui non animadvertit moribus etiam perditissimos, quique omnem exuerunt pudorem homines, virtutem laudare et mirari in aliis, aliorum vitia improbare, optare etiam se sine scelere obtinuisse, quod facinore compararunt. « Quis est enim, ut ait Tullius, aut quis » umquam fuit aut avaritia tam ardenti aut tam effre» natis cupiditatibus, ut eamdem illam rem, quam adipisci

[1] De legibus, L. I, c. 6.
[2] Sat. 13, v. 2 et 3.
[3] Ibidem, v. 208.

»scelere quovis velit, non multis partibus malit, ad »sese etiam omni impunitate proposita sine facinore, »quam illo modo pervenire?.... Aut quis est, qui Man- »liorum aut Africanorum aut ejus, quem timore semper »habes proavi mei, caeterorumque virorum fortium »atque omni virtute praestantium, facta, dicta, consilia »cognoscens nulla omnino afficiatur voluptate?" [1] «Pla- »cet, nimirum, ut ait Seneca, placet suapte natura »adeoque gratiosa virtus est, ut insitum sit etiam malis »probare meliora.... Maximum hoc habemus naturae »meritum, quod virtus in omnium animos lumen suum »permittit, etiam qui non sequuntur illam vident."[2]

Existit igitur lex exprimens et manifestans intrinsecum, quo bonum et malum morale discrepant, discrimen, hominisque jura et officia, quae ex isto discrimine profluunt. Hac lege constituitur ordo moralis, qui cum actus in se bonos complectitur hominis medium necessarium est, ut aliquando indesinens perfectissimae felicitatis desiderium omni ex parte adimpleatur. Porro actus moraliter bonus hic est, qui naturae rationali conformis est, quique proinde naturae etiam convenit humanae sive legi, quae manu Omnipotentis scripta est in corde hominis. Nulla siquidem necessitate Deus adstrictus fuit ad creandum hominem, non aliam tamen ipsi nisi naturam suam humanam assignare omnino potuit, secus enim homo non fuisset homo. Existentia hominis adeo a libera Dei voluntate, at essentia ab aeterna pendet atque immutabili conceptione, quae in intellectu divino necessario existit. Quatenus igitur intellectu homo gaudeat, liberaque voluntate, tum verum cognoscat, tum bonum prosequatur necesse est. Ast

[1] De finib. L. III, c. 2.
[2] De Benef. L. IV, v. 17.

quomodo homini ordo sive lex moralis innotescit? Ratione nimirum et conscientia.

Perdifficilis hac de re inter philosophos agitatur disceptatio. Sunt qui opinantur Deum homini tribuisse solummodo rationem et in ea legis cognoscendae facultatem hominemque per semetipsum, sola dumtaxat reflectione ad corporea, in explicitam legis cognitionem devenire posse. Alii docent legem naturalem aut saltem prima et generaliora ejus principia, esse innatam, ita tamen ut, veluti ipsamet ratio, primum sit in homine quasi mera potentia consopita et iners. Arbitrantur hominem absque ullo adminiculo cujusdam externae institutionis sponte sua, sola vi naturali intellectus, ad actualem et explicitam legis cognitionem attolli posse. Ex eorum opinione quicumque rationis est compos, omnino insons non erit, si legem naturae aut saltem prima et generaliora ejus principia ignoret vel contra eam egerit; etiam si ab ipsa infantia extra omne cum aliis hominibus commercium adoleverit aut in ipsa societate surdus et mutus sufficienti institutione caruerit. Tandem recentiores non pauci concordant cum praecedentibus et pari ratione ac ipsi profitentur, legem naturae esse innatam; sed contra ipsos solidis argumentis sustinere nituntur, hominem in actualem et explicitam ejusdem cognitionem naturaliter non devenire, nisi necessario adminiculo cujusdam externae educationis aut institutionis, ita ut, qui fuerit ab omni cum sui similibus commercio semper alienus, culpa vacet legem ignorando aut etiam contra eam agendo. Verum etsi fateamur institutionem ope sermonis enucleandae rationis medium esse aptissimum, ordinarium et naturale, non ita certum nobis videtur, num sit medium unicum et necessarium. Experientia etenim enituntur, quae huc referuntur argumenta; ast, quum facta nec satis nume-

rosa nec omnino clara existant, periculum adest, ne a non esse concludatur ad non posse.

Caeterum quidquid sit de origine idearum intellectualium et moralium: justi videlicet et injusti, Dei supremi vindicis etc., id nobis indubitatum est primaria ordinis moralis principia invincibiliter ignorari non posse ab eo, qui quoquo modo ad usum rationis jam pervenerit nec omni prorsus rationis usu sit destitutus. Horum principiorum applicationem, utrum videlicet a se acta vel agenda cum lege conveniant an discrepent, animadvertit conscientia. «Quam, ut Tullius (pro Cluentio) a Deo immortali accepimus, quae a nobis »divelli non potest quaeque nobis in omni vita testis »est et judex consiliorum atque factorum." Ipse sibi homo, mirabili Dei dispositione, lex est et judex, codex et forum.

Absurda propterea quis non videt eorum sententia est, qui ordinem physicum necessarium esse clamitant; moralem vero ordinem a homine libere constituendum putant, ut ipsi homines sibi agendi normam, ut cuique libuerit, eligant. Quod si foret admittendum, optabilius multo esset, ut jam dixi, si eadem coactione homines et vi ad suum finem agerentur ac caetera quae in universo mundo existunt. Secus enim omnia sus deque verterentur, quod luce clarius, quae nostra aetate contingunt populorum fata, ostendunt; quaeque ex perversis de libertate doctrinis nullo dubio originem trahunt. Certo certius liberum arbitrium Dei donum praestantissimum vocamus, ast possibilitatem adnexam sibi habet ingentis destructionis moralis. Aliud omnino est, si quis matri, quae ubera vitamque dedit, jam seni alimenta praestat et vitam, vel horrida atrocitate vitam indefensae adimit. Penes hominem est eligere, sed scriptum legit in corde suo,

Honora patrem tuum et matrem. Quod si alterutrum eligat, illum vel praemia ferre vel poenas luere universi generis humani conscientia arguit Divinaque requirit justitia. Haec est quae merito vocatur justitia absoluta, quaeque soli Deo competit. Ipse nimirum omnia in individuo cognoscit et quodcumque imputationem minuat augeatve adaequate discernit: *Homo videt ea quae parent, Dominus autem intuetur cor.*[1]

Vinculo, igitur morali legis observantiae adstringimur, sanctione videlicet, quae ad intrinsecam ordinis moralis constitutionem simul et efficaciam pertinet. In eo autem consistit propria sanctionis natura, quod legem sufficienti praemio ac poena urgeat atque ita liberam hominis voluntatem in sui observantiam alliciat. Fatemur equidem sanctionem perfectam in praesenti vita nullatenus obtineri. Virtus etenim et honestas, etiamsi vitio et turpitudini nativo suo splendore praecellant, quandoque mala plurima patiuntur, nedum praemia digna ferant. Quemadmodum etiam fit, ut qui perverse agunt vel poenas luant leviores vel poenam effugiant vel saltem poenae vitandae spem habeant. Quin et aliquando justitia ipsa ac fidelitas individuorum odia, calumnias ac persecutiones non modo sustinere cogitur, sed armatam adversus se humani judicis manum illam formidat, a qua suam defensionem et praesidium praestolatur. Quam denique utilitatem vel praemium bona hujus vitae possunt afferre illi, qui in custodiendis naturae legibus, divitiarum, famae, sanitatis vel etiam ipsius vitae jacturam quandoque patitur? Quid ergo, nisi dicamus perfectam ordinis moralis sanctionem ad vitam futuram pertineri. Vetustissima, ut notum est, atque universalis omnium

[1] Bibl. sacr. Reg. 1 XVI, 7.

gentium consensio est, in admittendis praemiis et poenis alterius vitae, juxta meritum vel demeritum actionum vitae praesentis. Innumera, quae huc spectant antiquorum recentiorumque testimonia haud opus est ut afferamus. Ecquid mirum, quaeso, quum nec summum bonum inter angustos hujus vitae ambitus concipi possit. Haec enim, ut jam antea diximus, sibi correspondent. Quare eadem ratione et id nobis indubitatum esse debet, quod perfectissima, quae in praesenti vita obtineri possit felicitas, in legis seu ordinis moralis observantia consistat intuitu nimirum summi boni posthac obventuri. In hisce PLATONI accedere optabilius esse, quis non ducat, quam hodiernis quibusdam, qui libertatem in libidinem et licentiam convertendo delectantnr. Quis est quaeso, qui dum convenienter ad legem naturae agit aut recte factorum recordatur, non suavem in se experitur tranquillitatem et voluptatem; contra qui perverse agunt aut perverse actorum recordatione tenentur, nonne plerumque sollicitudine turbantur, remordentis conscientiae stimulis commoventur, variis denique angustiis divexantur? Haec, quae cujuslibet experientia constant, praeclare nobiscum asserunt TULLIUS, LUCRETIUS, LUCANUS, SENECA et quod magis est EPICURUS ipse, de quo sic perhibet SENECA; «Illic dissentiamus cum Epicuro ubi »dicit nihil justum esse natura et crimina vitanda »esse, quia vitari metus non possit. Hic consentiamus »mala facinora conscientia flagellari et plurima illi »tormentorum esse, eo quod perpetua illam sollicitudo »urget ac verberat, quod sponsoribus securitatis suae »non potest credere. Hoc enim ipsum argumentum »Epicuri est, natura nos a scelere abhorrere, quod »nulli non etiam inter tuta timor est. Multos for»tuna liberat poena, metu neminem. Quare? Quia

»infixa nobis ejus rei aversatio est, quam natura »damnavit." Quot et quanta deinde et externa bona legis naturalis observantiae adnectuntur? Ea enim est, quae sanitatem corporis tuetur, quae vitam reddit diuturniorem, quae facultates animi perficit et regit, quae officiis domesticis et civilibus nos efficit aptiores, quae aliorum existimationem, fiduciam et amorem conciliat, quae adversitatem patientia facit leviorem, quae familiae et societatis securitatem et ordinem firmat. Haec omnia bona praestat temperantia, justitia, prudentia et fortitudine caeterisque virtutibus, quas commendat et praecipit. Contra quot et quanta mala efficiantur in animo et in corpore, ex vitiis; quae exfluat in familia et societate calamitas et pernicies, experientia pariter indubie constat. Luxum et vitia Romanae Reipublicae perniciem et exitum attulisse prae aliis innuunt Sallustius, Plinius et ostendere aggressus est Montesquievius. Tandem peculiaris pariter divinae providentiae dispositio, vi cujus frequenter media inproportionata, sed ad normam justitiae et honestatis adhibita, optatum et felicem exitum habent; iniquitatis vero ac injustitiae conatus ad regulas artis apprime concinnati effectu suo turpiter frustrantur, earumdem naturalium legum aliqualem praesentis etiam vitae sanctionem patefacit. Neque dicas etiam vitia legumque violatores suam voluptatem et gaudium habere, injustitiamque haud raro multum commodi et emolumenti afferre; deinde plurimis hujus mundi malis, aeque bonos seu naturalis legis custodes, quam malos obnoxios esse. Sanae mentis nemo, est qui non animadvertit vitia quaecumque, quia hominis naturae et bono ex se adversantur, ejus verae utilitati

[1] Ep. 97.

favere nulla ratione posse; insuper qui vitiis inhaeret, societati est revera exitiosus, bonum publicum deserit, in se omnia convertit, ipsum societatis bonum privato suo bono subjicit adeoque societatis vincula vel relaxat vel solvit. Id animadvertere est in avaritia, in amore sui inordinato et in vitio quocumque. Si tandem ex vitiis bona quaedam in societatem dimanare faciat rerum fortuitus concursus, bona haec simulata et fallacia cum gravissimis incommodis, quae ex vitiis per se fluunt conferri nullo modo posse apparet. Praeterea quum ordinis moralis perversio, quae comitatur actus a ratione difformes sit maximum malorum humanae naturae; nihil potest esse revera utile, i. e. verum homini emolumentum adferens, quod simul non fuerit moraliter bonum et honestum. Egregie hac de re disserit TULLIUS, Leg L. II. de Offi. L. III.

Existunt adeo divina sanctione munitae leges, quas non condere sed agnoscere, non mutare sed applicare, non rescindere sed defendere, humanae potestatis conditio est. Haec utrum a Deo sit deducenda, an a populi conventione, disputant philosophi affectata magis contentione quam fructu et veritate. *Non est potestas nisi a Deo* [1], si quaeratur de potestate objectiva, quae ab auctore naturae procul dubio descendat necesse est. Posita enim natura ponuntur certa jura aut posito socialis nostrae naturae statu, certa potestatis aut imperii genera, quae considerantur instar alicujus proprietatis, quae naturam ejusque statum sequitur tamquam attributum; ac tum quidem, si quis quaerat, utrum a Deo sit illud jus vel ea potestas, similiter facit ac si interrogaret, utrum ipsa natura ejusque status a Deo sit, an secus. Po-

[1] Paul. ad Rom. XIII.

testas hoc modo spectata, jus vitae ac necis continet, tamquam medium, ad finem civitatis obtinendum, apprime necessarium ac proinde a Deo, ut auctore naturae ac supremo domino vitae ac necis, cum civili imperio conjunctum. Quod si spectatur potestas quatenus inhaeret in certo subjecto, id subjectum a Deo et natura determinatum non est, sed per pactum unionis et subjectionis determinatur: supponatur exempli gratia, quod populus per pactum unionis in democratiam coeat, indeque novo pacto subjectionis ad statum aristocraticum vel monarchicum transeat, haud aegre intelligitur, quo modo potestas a populo transferatur ad paucos vel ad unum; neque ulla apparet sufficiens ratio recurrendi ad Deum tamquam proximum summi imperii collatorem; quia et populus tum ipso hoc summo imperio gaudet, tum etiam jure illud transferendi ad paucos vel ad unum. Quantum vero varias regiminis formas attinet, has silentio praeterire nobis liceat, quum in rebus humanis nihil sit quod spectatis omnibus adjunctis tamquam optimum haberi queat, neque tam a diversitate formae quam ab ejus recta ordinatione legumque custodia felicitas civitatis dependeat. Caeterum si is penes quem est imperium, sive sit persona physica sive moralis, idipsum, quod emanare a Deo sapientissimo profitemur, exerceat, ut legem condat ordini morali haud respondentem, misere imperio abutitur nec subditi jure sed vi cedunt. Quemadmodum etenim caeterae leges, statuta, rescripta aliave legi fundamentali alicujus populi inaedificari merito censentur; sic et leges populorum fundamentales ordini morali ceu summae legi superstruantur necesse est. Quid enim est quae vocatur gentis alicujus constitutio, nisi summa lex moralis, variis populi necessitatibus proprioque suo jure

adornata; qua talis intelligitur populus, qualis in historia legitur. Sequitur enim quasi umbra gentis alicujus progressus, discrimina et fata ac tum demum scribitur, quum diuturno usu temporumque necessitate invaluit. Quasi lux autem futuram jam nascentem populi evolutionem praelucet: omnium etenim populorum necessitatum ratio in constitutione habenda est, sive jam obsoletae sint, quae abrogentur, sive evolutae sint, quae pleno jure constituantur, sive nascentes primum, quibus praeludatur necesse est; servata in omnibus aeterna omnium necessitate, quae ordine morali constituitur. Secus, quid est, quaeso constitutio, nisi chartula, quae nullatenus observata brevi disrumpatur?

CAPUT II.

DE PRIMO JURIS PRINCIPIO.

Duo statuamus oportet principia, quae legi, prout eam exposuimus, ex aequo conveniunt; principium existentiae videlicet et cognitionis. Haec apprime distinguenda sunt, ne confusione magis involvatur, quam debita perspicuitate elucidetur tantopere disputata quaestio de primo juris principio.

Principium existentiae, quod rationem profert cur lex naturalis existat, coincidit cum fonte atque origine ordinis moralis, non in se spectati, sed relate ad hominem aliamve rationalem creaturam Deo subjectam. Solo nimirum Deo existente, ordo moralis rationem legis non habet; nam ratio legis in eo consistit, quod necessario praesupponat legislatorem, cujus ipsa est manifestata voluntas, qua subditi certas servent et determinatas relationes ad legislatorem aut ad se invicem. Principium porro existentiae ordinis moralis est aeterna ratio divinae sapientiae, prout est directrix actuum rationalis creaturae. Improprie certe ipse Deus huic ordini subjici dicitur, in Ipso namque ordo mo-

2

ralis rationem legis non habet, sed infiniti attributi divini. «Hanc, ut ait TULLIUS, video sapientis- »simorum fuisse sententiam, legem neque hominis »ingeniis excogitatam nec scitum aliquod esse popu- »lorum; sed aeternum quiddam, quod universum mun- »dum regeret, imperandi prohibendique sapientia. Ita »principem legem illam et ultimam mentem esse »dicebant, omnia ratione aut cogentis aut vetantis »Dei: ex qua illa lex, quam Dii generi humano »dederunt, recte est laudata..... Erat enim ratio pro- »fecta a rerum natura et ad recte faciendum impellens »et a delicto avocans, quae non tum denique incipit »lex esse, quum scripta est, sed tum, quum orta est. »Orta autem simul est cum mente divina. Quamob- »rem lex vera atque princeps apta ad jubendum et »vetandum ratio est recta summi Jovis."[1] Existentia igitur ordinis moralis ab aeterno esse colligitur necessaria atque immutabilis, ut ipsemet Deus. Verum, quae huc spectant, jam superiori capite satis superque illustravimus, quare hisce non inhaeremus, sed ad alterum legis principium transimus. Hoc est, quod principium cognitionis vocatur quodque rationem profert, qua lex naturalis hominibus innotescat. Id duplici ratione locum habet, atque adeo duplex distinguitur cognitionis principium. Alterum est subjectivum, facultas illa scilicet, qua lex naturalis innotescit estque humana ratio cum ejusdem usu conjuncta; alterum est objectivum, quod vocari potest principium comprehensionis, praeceptum videlicet quoddam primum et generalissimum, in quo omnia praecepta contineantur, quodque sit, ut ait HEINNECCIUS, veluti lapis lydius et actuum moralium mensura.

[1] De legib. L. II, cap. 4.

Hocce legis naturalis principium comprehensionis illud est, quod in praesenti inquirimus.

Qui de jure naturae disserunt, ubi de hoc principio definiendo agunt, in multas diversasque sententias abeunt. Celebris admodum haec est inter philosophos ast inutilis disceptatio. Plerique enim postquam diu inter se illius causa digladiati sunt, quasi nihil evicissent, quod in posterum usui esset, reliquas juris partes ex aliis atque aliis principiis derivare conantur. Philosophia nimirum moralis omnes complectitur disciplinas, quae humanas actiones ex praescripto rationis ad honestatem ac felicitatem dirigunt.

Quae disciplinae quum ex eodem fonte profluant et eodem diversa ratione concurrant, intimo conjungantur nexu necesse est, tam utilitatum, quae expleto quovis officiorum genere proveniunt, atque ad explenda reliqua conducunt, quam malorum, quae neglecto genere uno, existunt et reliquis impedimento sunt. Qui Deum vere atque ex animo colit, brevi rationes depromet ex eo cultu, quibus hominum societati utilis sit, et ipsum se non negligat; contra qui societatis sensum maxime prae oculis habet, id quod hominibus utilissimum est maximeque necessarium, aget, ut eos Deum excolere summeque amare et verbis et exemplis doceat, seque et statum suum ad usum humanae societatis praeparet atque exornet. Qui denique de suis commodis primo cogitat haud aegre videbit, quam conductibile sit et Deum colere et homines sibi devincire. Non miremur igitur deductionem naturalium jurium atque obligationum alios a cultu Dei, alios ab hominum societatis sensu, denique alios a studio utilitatis propriae tamquam a capite reperiisse. Quia porro omnium philosophorum sententias hac super re in

medium proferre, infiniti et haud utilis foret laboris, (nimia namque opinandi licentia factum esse videtur, ut plerique pro suo unusquisque libitu nova hujusmodi excogitarent prima juris naturalis principia) id unum admonemus, quod veram et integram hominis naturam omnis omnino juris cognitionis principium habeamus. Ex hominis enim natura ejusque naturalibus relationibus rationis lumine solummodo dignosci potest, quos Deus creator homini praestituerit fines ab homine assequendos. Dolendum sane quod nulla in re magis dissentiant sibique invicem opponantur philosophi, quam in indaganda naturae nostrae indole. Plurimi siquidem id fere spectant quod hominum natura cum bestiis commune aut etiam depravatum habet; pauci complectuntur omnia, quae indita nobis a natura sunt, nec satis attendunt ad nobiliores illas facultates, per quas similitudine quadam attingimus primam et infinitam mentem. Hobbesius considerata ferocitate quorumdam populorum et communi hominum cupiditate sibimet consulendi, vim ac bellum omnium in omnes, Epicurei sensuum oblectamenta, voluptates ac indolentiam, Stoici virtutem quamdam rigidam et sensus expertem, alii alia statuere, secundum quae convenienter naturae vivi possit ac debeat. Hodierni vero qui spontaneo generis humani progressui favent, naturae humanae evolutionem et perfectionem ab aliqua generis humani vita quasi *vegetativa* exspectandam esse fabulantur. Verum, ut ait Guizot, »Il y a une immense ignorance de la »nature de l'homme et de sa condition à croire que »laissée à elle-même, la liberté humaine va au bien »et peut y suffire. C'est l'erreur de l'orgueil; erreur »qui énerve du meme coup l'ordre moral et l'ordre »politique, le gouvernement intérieur de l'homme et le

»gouvernement général de la société."[1] Perquam facilis ipsis est responsio, si quaeras unde tanta judicii diversitas in iis, qui penitus perscrutari humanam naturam nituntur. Nedum etenim variis et contradictoriis sententiis rationis sibi relictae impotentiam agnoscant, ut PLATO CICEROque; idipsum in argumentum afferunt, ut rationem individuam extollant propter infinitam ejusdem varietatem. Quid contra PLATO? SOCRATEM loquentem inducit: »Necesse est exspectare »donec discatur, quemadmodum ad Deum et homines »habere se deceat."[2] Ipse in Epinomide ait: »Docere »pietatem neminem posse, nisi Deus tamquam dux et »magister praeiverit." Praeclare etiam TULLIUS: »Nunc »autem, inquit, simul atque editi in lucem et suscepti »sumus, in omni continuo pravitate et in summa »opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte »nutricis errorem suxisse videamur."[3]

Insigne praeterea testimonium invenire est L. I. c. I. de natura Deorum: »de qua tam variae, inquit, »sunt doctissimorum hominum tamque discrepantes »sententiae, ut argumento esse debeat causam, i. e. »principium philosophiae esse inscientiam." Quamobrem in quibusdam philosopho recurrendum esse ad ea, quae divinitus nobis revelata sunt, candide fatemur. Quaenam nimirum ratio internae, quam quisque in se experitur, luctae, qua *nitimur in vetitum semper cupimusque negata,* a philosophia dari potest? Protoparentis, quem in Sacris Literis legimus lapsum, prudentius sine dubio admittit philosophus quam duas Peripateticorum animas, sensitivam et materialem unam, alteram rationalem et simplicem. Non miramur

[1] De la democratie en Fr. edit. de Brux. p. 13.

[2] In dial. cui tit. secund. Alcib.

[3] Quaest. Tusc. L. III, c. 2.

propterea quod, qui omnia sua individua ratione comprehendere opinantur, falsam sibi hominis naturam effingant et unam aliamve ex relationibus ejus naturalibus negent vel praetermittant. Porro in natura hominis, ut breviter colligamus, insunt alia pertinentia ad animum hominis, alia ad corpus, alia ad res externas eidem extrinsecus adhaerentes. Inest arctissima conjunctio ac nexus, quem constrinxit ipsa natura cum Deo, homine ipso et hominibus aliis. Inest status naturalis vel adventitius multiplex. Insunt fines denique, in finibus gradus, ordo, proportio comparata ad apta media. Ex horum omnium contemplatione universa deinceps disciplina haurienda est.

Cogitanti serio de humana natura fieri non potest, quin illico observetur arctissima conjunctio, qua homo ipsa sua origine omnique progressione vitae ac fine adstringitur summo Deo nempe creatori suo et gubernatori, fini ultimo seu summo bono. Dein cum de se quisque suaque praesente ac futura sorte cogitet, necessario fit, ut alium quisque a semetipso se considerans, quid maxime sibi expediat, quid a semet debeatur sibi expendat, dicatque: *proximus egomet sum mihi prae hominibus aliis;* praesertim quum multiplex animal sit homo, multiplici nempe praeditus facultate, nec ipse sibi perpetuo consentiat, sed deliberando appetendoque saepe in partes distrahatur contrarias. Denique non uno vinculo hominem cum hominibus devinxit natura, communi nempe origine, progressu ac fine, similitudine facultatum, appetituum, miseriarum, voluptatum et qua unum prae animantibus hominem instruxit facultate sermocinandi communicandique cogitata et sensus animi, mutuam opem et solatia. Dubium igitur non est, quin ad perfectam naturae hominis cognitionem id triplex pertineat con-

junctionis nexusque genus, nempe hominis cum supremo Deo, semetipso, hominibus aliis. »Philosophia »vero, inquit CICERO, omnium mater artium quid est »aliud nisi, ut PLATO ait, donum, ut ego, inventum »Deorum? Haec nos primum ad illorum cultum, deinde »ad jus hominum, quod situm est in generis humani »societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi »erudivit."[1] Quid enim praestantius, quid optabilius est homini, quam ut a creatore suo pendeat totus, eidemque animo volenti, non tristi necessitate, sese ipsi subjiciat. Quae si animo comprehendat, divinum ceu summum imperandi jus percipiet, cui summa et inviolabilis obtemperandi necessitas, seu obligatio respondet. Denique natura suas cuique nostrum facultates distribuit, suas singulatim vires corporis animique; ac miseriam suam aut voluptatem mentis ita quisque intime percipit, ut nemo magis. Non alieno adeo judicio sensuve, sed nostro miseri sumus aut felices. Nemo igitur si sapere velit, ita se aliorum impendat commodis, seipsum ut penitus negligat. Verum non hoc sensu, ut perpetuo se ipsum quisque spectet agendo, suaque commoda. Quid enim nos cogit ut de nobis semper cogitemus nostroque inhiemus lucro. »Honestum, inquit TULLIUS, intelligitur, ut »detracta omni utilitate, sine ullis praemiis fructibus»que perseipsum possit laudari. Permulti enim eam »unam ob causam multa faciunt, quia decet, quia »honestum est, et si nullum secuturum emolumentum »videant."[2] Dein fatente eodem, *natura propensi sumus ad diligendos homines*[3] sicut et Ecclesiastes

[1] Quaest. tusc L. I cap. 26.
[2] De finib. L. VI.
[3] De legib. L. II.

ait; *Omne animal diligit simile sibi: sic et omnis homo proximum sibi.* [1] Quo fit ut quis, qui non vitioso in sua propria existentia includitur *egoismo,* sed amore sui rationali ducitur eadem vivendi agendique ratione, privato suo bono simul et utilitati publicae allaborat.

Verum quod olim somniarunt quidam de statu generis humani, quasi nempe initio homines vagam et ferinam ac ad invicem hostilem vitam longo temporis tractu duxissent, fusique per sylvas et agros ad pascua exirent atque arcendae aeris inclementiae causa antra et speluncas peterent, tantumque haberent, quantum vi per caedem, ignem ac vulnera eripere aut retinere potuissent, sicut ex Horatio, Lucretio, Platone et Tullio colligimus, id nostri aevi nonnulli philosophi non solum pro hypothesi assumpserunt, sed tamquam thesin tradere non haesitarunt. Naturalis status hominum neque est sylvestris, solitarius, belluino similis, ut voluit Rousseau, neque hostilis, seu bellum omnium in omnes spirans, sicut placuit Hobbesio. Naturalis nimirum hominum status socialis est ac domesticus, a quo deinde naturaliter transeunt homines ad statum civilem, prout historia accidisse testatur, nec aegre probari potest. Hanc siquidem naturalem status socialis exigentiam evincit ipsa hominis natura. Etenim cum homo, suadente ipsa naturali ratione, nequeat esse nisi opus Dei, cumque ordo naturalis propagationis humani generis virum et foeminam necessario postulet, et homo infans sibi derelictus necessario interiturus esset, sequitur Deum in prima hominis origine creasse hominem saltem in juvenili aetate ratione expedita praeditum, eidemque propter propa-

[1] Cap. 13.

gationem humani generis sociam mulierem addidisse, unde homo a sui origine in domestica societate constitutus fuerat; idque requirebat futurae propaginis conditio, infantes namque oriuntur usu rationis destituti, seque conservandi ac perficiendi a semetipsis prorsus insufficientes, longaque cura parentum, donec ad perfectum hominis statum tam in vita animali quam rationali perveniant, egentes. Haec autem parentum inter se et cum filiis unio vitaque communis, quam naturalis amor et gratus animus confirmat atque naturali viri seu patris superioritati ac directioni subjicit, constituit naturalem societatis domesticae statum, ex conjugali et paterna societate coalescentem. Eodem deinde rationalis naturae ductu, familiae huc et illuc dispersae, morali necessitate aliquando conjunguntur et in civitatem accrescunt. Supposita nimirum aliqua cohabitationis vicinitate, sensim sine sensu oritur vicus, deinde pagus, urbs ac demum civitas, quae juxta Aristotelem est *civium multitudo ipsa per se sibi satis ac sufficiens ad bene beateque vivendum.* Status itaque naturalis hominis is est, quem a natura obtinet nullo accedente libero hominis facto vel instituto. Contra adventitius est, qui ex libero hominis facto vel instituto quodam, supervenit. Quia hominem ipsa natura ad societatem hominum aliorum conformavit, idcirco status, quem a natura obtinet, homo excludere omnem humanam societatem non potest, sed eam tantum excludit, quae ex hypothesi cujusdam facti vel instituti, propria electione oritur. Quidquid autem sit de societatibus particularibus, quas homines libere ineunt relate ad fines quosdam eorum arbitrio subjectos, definitio haec status adventitii nequit competere statibus societatis in genere spectatis, domestico scilicet, sociali et civili in quibus homines ex natu-

rali modo eorum nativitatis et necessitate quadam naturae constituuntur.

Est hoc proprium naturae hominis, qui actiones suas ratione et consilio regit, ut ex sui praesertim theoretica cognitione, quid repetendum fugiendumve sit, quid honeste fieri queat, quid expediat, fere sine magno labore concludat. Unde more receptum apud philosophos, ut rationem aliam theoreticam, aliam practicam dicant, cui cognitiones respondeant generis utriusque. Qui animi sui nativas dotes et praeclaros fines cogitat, ad quos hominem natura et naturae auctor destinavit, illico intelligit nefas esse homini bestiarum more affigi oblectamentis carnis et sensuum. Qui communem naturam, communem indigentiam, communes succurrendi facultates spectat, non potest non colligere, oportere ut alter alteri praesidio sit, maximeque cavendum esse, ne abrumpatur conjunctio animorum, quam ipsa natura primum conciliavit. Merito igitur a nobis id statuitur primum omnis juris principium: *verae et integrae naturae humanae convenienter vivendum.* Illam adeo intelligimus hominis naturam, quam Deus hominis creator et finis ultimus seu summum bonum, homini esse voluit; nempe naturam quantum fieri potest perfectam seu omnibus hominis relationibus naturalibus, nulla prorsus praetermissa, aptissime consentaneam. Harum omnium systema tradere atque exponere omittimus, propterea quod generatim de jure disserimus ea dumtaxat ratione, ut intimum Religionis ac Ethices cum jure nexum illustrare eo melius possimus. Id attamen ante omnia admonendum censemus, quod, quia plures nobis propositi sunt fines propriores, eorum ordo quidam cogitari debeat, quo alter alteri praestat vel subjici debet; neque enim infirmitas virium nostrarum neque tempora,

quibus implicamur, sinunt, ut omnia animi et corporis vel externa commoda consectemur vel quaevis incommoda simul evitemus. Exoritur saepe pugna et collisio bonorum finiumque, ut qui unum servare velit vel adipisci, alterum dimittere e manibus cogatur. Ne autem nimium distinguendo a veritate simul et a nostro argumento deviemus, illustre sufficiat memorare effatum, quod in Sacris Literis legitur: *Quaerite primum regnum Dei et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.* [1]

Verum nullatenus infirmitas humanae mentis admittit neque infinita Numinis perfectio exigit, ut ad propositos fines, omni qua fieri potest, vi contendere, omnem quem possumus virtutis gradum assequi nihilque perfectionis praetermittere cogamur. Fines a natura praefixi non ejusmodi sunt, ut velut geometrarum puncta plus minusve capere haud possint. Satis est si omnes invitentur ad perfectiora melioraque, eademque qui praestantiori animo sunt et consectentur et assequantur. Quapropter ambigi non potest ab ipsa natura hominibus proposita fuisse consilia virtutis et perfectionis, ut alterum altero melius sit ac perfectius, neque idcirco obligationi vel necessitati subjectum. Quae perfectiora sunt melioraque, conveniunt ea quidem naturae, nec tamen si consilii tantum sunt statim obligationi et necessitati subjici possunt. Non igitur quidquid naturae conveniens est, quidquid aequitatis aut honestatis majorem speciem habet, ad obligationes naturae referri potest.

Huc spectat una e variis juris divisionibus, quas omnes et singulas illustrare ad nostrum argumentum non facit. Haec est quae nititur distinctione inter jura perfecta et

[1] Matth. VI, 53.

imperfecta, quorum illa cum jure cogendi conjunguntur, haec vero extorqueri non possunt, non quasi non obligarent vere aut sine piaculo negligi possent, sed quia cogi non potest is, qui satisfacere iisdem renuit. Hoc discrimine, THOMASIUS *moralitatem* a jure sejungere conatus fuit. Cui THOMASII distinctioni, integram deinde separationem substituere plerique Germaniae philosophi, qui KANTIUM sunt subsecuti, quique hodie KRAUSIO accedunt, cujus doctrinam amplectitur AHRENSIUS in suo opere: *Cours de droit naturel.* Verum, dum nova novis continuo superstruunt, nimium distinguendo, a veritate deflectere, indubitatum nobis est. Admisso nimirum KANTII primo juris principio, jus naturale constituitur aggregato illarum conditionum, sub quibus libertas externa singulorum potest coexistere cum libertate externa omnium. Illa itaque actio justa est, quae a quolibet posita nullius laedat libertatem externam. Quid igitur de blasphemiis, verbi causa? An, quia libertatem aliorum non laedunt, juri naturali non repugnant? An fides in Deum, quae necessaria sine dubio omnis societatis conditio constitutiva est, non eatenus saltem ad jus naturale pertinet, quatenus vi coerceatur impietas exterius manifestata? AHRENSIUS deinde, qui KANTII et KRAUSII vestigia premere sese fatetur, plurimis in locis *moralitatem* a jure speciosa omnino, ast minus vera distinctione discernit; quod cuique facile apparebit, qui auctorem vel obiter perlegerit. Nos autem intimum Religionis ac Ethices cum jure nexum ostendere allaborantes, idque optabilius et utilius ducentes, pauca dumtaxat de hoc discrimine innuamus.

Disciplina moralis ad intimum conscientiae factum forumque pertinet, omnesque omnino actiones, tum internas tum externas complectitur, sive versentur circa bonum nulla ratione debitum, sive exigente jure perfecto aut im-

perfecto ponantur. Jus dein perfectum, quum adnexam sibi habeat oportet coactionem, eaque ratione solo saepe juris nomine veniat, imprimis excludit actiones internas; quae coactionem luce clarius non patiuntur, dein non spectat actiones externas, nisi quatenus in societate edantur et ad societatem referantur, idque vel ex eo intelligitur, quod extra omnem societatem coactio locum non habeat. Verum nec hae quidem omnes, quae ad societatem referuntur actiones juri perfecto subsunt. Duplici nimirum legum ordine dirigitur et moderatur societas, charitate videlicet et justitia. Justitia quidem ad necessarias societatis conditiones constitutivas refertur, qualis est verbi gratia jus dominii; charitas vero ulteriorem magis societatis perfectionem intendit: haec jura imperfecta, illa quidem perfecta complectitur. Verum hoc opus, hic labor, ut principium statuatur undequaque verum, quo id praecise discernitur, quid coactione extorquendum, quid omnium libertati relinquendum sit. Quod quidem assignari posse nobis non videtur. Non enim, ut jam monuimus, fines hominis et societatis a natura ita praefixi sunt, ut velut geometrarum puncta plus minusve capere haud possint, quare extremi inter charitatem et justitiam limites non nisi moraliter definiri posse arbitramur. Cuivis certo jus conservandi se, statumque suum et perficiendi a natura concessum est; proinde et jus adhibendi ea, quae ad hunc finem apta et ab ipsa natura praestituta sunt. Natura porro alteri in altero multa vitae praesidia subsidiaque constituit. Quapropter cuivis dedit jus aliorum praesidium, opem et operam implorandi. Atque huic quidem juri, id non turbandi seu impediendi certa respondet obligatio; anne etiam obligatio praestandi quod petitur? tum certe si alter vere indigeat et facultas praestandi suppetat. At num praestatio vi

extorqueri ab invito potest? haud sane. Quae, quaeso, societas possibilis esset, quum hoc modo indigentia in dominatum, mendicitas in latrocinium abiret, fovereturque desidia hominum rebus alienis sustentanda ac nutrienda, totque haberemus praedones quot egentes homines vel potius otiosos. Sunt igitur et jura et obligationes naturales, quibus ut satisfiat invitus cogi non potest. Secus enim cum eis consistere nequidem possent, quae merito omnibus jura perfecta appellantur. Etenim tum jure naturalis libertatis tum etiam jure conservandi perficiendique status sui, quivis et actionum suarum et earum rerum dominus est, quas suas vere nuncupat aliisque exclusis tenet, neque pati quis tenetur, ut alius in res suas irrumpat, earumque usum turbet. Si quis irrumpat, si violet, minuat, abstrahat vel earum usum turbet, in promptu esse debet jus resistendi, adeoque jus cogendi, ut desistat; secus infirma essent primaria naturae jura et alienae libidini ac licentiae per sese exposita. Indicio istiusmodi juris coactivi sunt naturales stimuli, quibus animo et corpore incitamur in invasores vitae, membrorum ac rerum, quas ad vitae usum comparavimus ac nostras dicimus, quasque aliis, nisi voluntate nostra, interdictas habemus. Quae si accurate perpendantur et varia sibi invicem jura conferantur, quaestio utrum jus aliquod veram rationem juris perfecti habeat, ex eo nobis solvenda videtur, an revera jus illud ex necessariis societatis conditionibus constitutivis profluat, necne. Quum huc ultimate reducatur illius distinctionis ratio saepe eveniet, ut singula attente pensanda sint, ut agnoscatur, num generatim et non praecise in tali circumstantia expediat adesse coactio.

CAPUT III.

DE NECESSARIO RELIGIONIS AC ETHICES CUM JURE CONCURSU.

»In legum constitutione primum est, ut ait »PLUTARCHUS, et maximum de Diis opinio, quamobrem »et LYCURGUS Lacedaemonios et NUMA Romanos Diis »consecravere votis, sacramentis, vaticinis, ominibusque »eos ob spem et metum Diis deditos obnoxiosque »reddentes. Etsi terras obeas invenire possis urbes »muris, literis, regibus carentes. Urbem templis Diis»que carentem, quae precibus, jurejurando, oraculo non »utatur, non bonorum causa sacrificet, non mala sa»cris avertere nitatur nemo umquam vidit, sed facilius »urbem condi sine solo puto, quam opinione de Diis »penitus sublata, civitatem coire aut constare."[1] Idem fatentur inter hodiernos Hume: »Cherchez un peuple »sans religion, si vous le trouvez soyez sûr, qu'il ne »diffère pas beaucoup des bêtes brutes."[2] Sic et ROUSSEAU: »Jamais état ne fut fondé que la Religion

[1] Lib. Contra Coloten.

[2] Hist. nat. de la Religion p. 133.

»ne lui servit de base."[1] Humana nimirum societas mores et Religio ita rationali hominis inhaerent naturae, ut simul ac indesinens felicitatis desiderium nullam omnino exceptionem patiantur. Quare cum Tullio dicendum. »De quo autem omnium natura con»sentit, id verum esse necesse est."[2] Verum errare humanum est, nec miramur, quod in inquirendis ordinis moralis legibus eisque variis temporum necessitatibus applicandis homines a vero saepenumero deflectant. Eadem sane ratione praesertim antiqui in indagandis physicis legibus erroribus fuere obnoxii nec tamen rerum natura propterea mutata fuit ordinique morali humana homines cogitata sufficere potuere. Caeterum nullatenus nobis sermo est de variis etiam recentiorum placitis, quum jam tempore Ciceronis in infinitum excurrerent eumque in desperationem agerent. »Perdifficilis, ait, et perobscura quaestio est de na»tura Deorum...... de qua tam variae sunt doctissi»morum hominum tamque discrepantes sententiae, »ut argumento esse debeat causam, id est principium »philosophiae esse inscientiam."[3] Invincibilem tamen, ut modo diximus, primariorum ordinis moralis principiorum ignorantiam non admittimus. Nec etiam de speciali aliqua Religione contendimus, sed id unum in animo habemus, ut demonstremus, quod Religio necessarium sit et morum et legum praesidium. Universale siquidem inter homines vinculum Religio est. Haec doctos et indoctos, magnates et inopes coram Deo communi omnium patre aequales esse testatur; haec misericordiam divites, patientiam pauperes edocet, illorum superbiam deprimit, horum spem erigit; haec

[1] Cont. Social Liv. III chap. 8.
[2] De Nat. Deor. L I, cap 17.
[3] De Nat. Deor. L I, cap 1.

est, quae omnibus cervicibus imponit sempiternum Deum judicem, de quo conqueruntur Epicurei, qui cuncta prospiciens, cuique pro merito retribuet. Societatis igitur quam maxime interest, omnem tueri Religionem, dummodo morum integritati atque sanctitati ex aequo conveniat. Idipsum nobis clarius evadet, si prius antiquorum fata populorum in memoriam revocemus. Quamobrem non abs re erit, quaedam praemittere de intima unione mutuoque concursu, quibus Religio et mores et leges bonum publicum simul ac privatum apud antiquos constituerent.

A primis igitur societatis exordiis Religio, firmissimum legum subsidium morumque robur et palladium habita fuit. Experientia namque populi quamprimum docebantur, delicta in Deos patrata, non minus in ordinem publicum committi. Quos, rejecta omni Religione, divino cultui resistere videbant, illos nec civitatis legibus obtemperare experiebantur. Instigantibus denique impiis et alios ad omne genus criminum, impietas, ut civitati perniciosa ubicumque terrarum reprobata fuit. Qua porro imbuti veritate non tantum severis legibus frena impietati immittere nitebantur, verum etiam, quanta poterant cum sollicitudine, Religionem tuebantur. Constat certo inter omnes, antiquis illis legislatoribus, Religionem ita cordi curaeque fuisse, ut cultui divino cuncta quasi morum fundamento inaedificarent instituta. Quotquot sunt, quorum aliqua exstat memoria et quorum instituta digna fuerunt, quae laudentur, leges suas sigillo divinitatis signaverunt. Minos leges Cretensibus datas, quaeque Platonis tempore adhuc vigebant, Jovem sibi dictasse effinxit. Lycurgus Lacedaemoniorum legislator, leges suas non promulgavit, nisi postquam Apollinis oraculum consuluerat. Zaleucus legibus suis hasce praefixit sententias;

Deus summe colendus, Deus legum auctor et fons, Ex Deo omne bonum et justum emanat. SOLON Athenienses jurejurando adeoque Dei cultu et fide, legibus suis obstrinxit. NUMA POMPILIUS, ZAMOLXIS, Getarum legislatores, leges suas prior a Nympha EGEREA, posterior a Dea VESTA accepisse credebantur. Hisce accedebant quicumque philosophi, qui hac in re, quantopere etiam aliis rationibus dissentientes, omnino conveniebant. Praeclara multa sunt, quae de moribus conscripserunt et edocuerunt ZOROASTER apud Persas, BOUDDHA apud Indos, CONFUSIUS apud Sinenses, SOCRATES, PLATO, ARISTOTELES et alii apud Graecos, CICERO, SENECA, VALERIUS MAXIMUS apud Romanos. Verum ne absque fundamento haec a nobis referri videantur, quaedam ex iisdem loca afferre nobis liceat quibus perspicuum fit, eam revera apud veteres viguisse sententiam. Sic ARISTOTELES: « Quam multae autem » sint res, sine quibus civitas esse nequeat, videndum » est...... Primum igitur victus seu alimenta suppe» tere debet; deinde artes..... tertio loco arma..... » deinde aliqua pecuniae vis et copia; quinto, *quod » etiam primo loco ponendum est, rerum divina» rum curatio, quam Sacerdotium appellant.*" [1] PLATO, ut leges adversus sacrilegos et impios ferentur: » Si » quis forte, ait, sacrilegium committere audeat, legem » de hoc feremus, quamvis onerosam nobis atque » molestam..... qui deprehensus in sacrilegio, si » servus peregrinusve erit, in facie ac manibus cala» mitate ipsius literis insecta, verberatus, prout judi» cibus videbitur, nudus extra fines pellatur; forte enim » hoc supplicio continentior factus, evadet denique me» lior. Si vero civis quispiam aliquid tale in Deos

[1] De republica, L. VII, cap 8.

»aut in parentes aut in patriam perpetrare et ad »maximam injuriam induxisse animum deprehendatur, »hunc judex, quia ex puero bene doctus educatusque »a maximo scelere non abstinuit, sanari non posse »existimet; poena huic mors malorum minimum." [1]

Apud CICERONEM passim etiam de Religionis praestantia mentio est. Celeberrimus est locus, qui de Leg. VI n. 11 invenire est: »Maximum, inquit, et prae-»stantissimum in republica jus est augurum et cum »auctoritate conjunctum. Neque vero hoc, quia sum »ipse augur ita sentio, sed quia sic existimare nos «necesse est. Quid enim majus est, si de jure quae-»rimus, quam posse a summis imperiis et summis »potestatibus, comitiatus et concilia vel instituta di-»mittere, vel habita rescindere? Quid gravius, quam »rem susceptam dirimi, si unus augur *alio die* dixe-»rit? Quid magnificentius quam posse decernere, ut »magistratu se abdicent consules? Quid religiosius »quam cum populo, cum plebe agendi jus aut dare aut »non dare? Quid legem, si non jure rogata est, tol-»lere?..... nihil domi, nihil foris, per magistratus »gestum sine eorum auctoritate posse cuiquam pro-»bari?" Romani nimirum sacra ante omnia ponentes ipsa sua Religione cunctis gentibus praevalere jactabant. «Omnia namque, ut inquit VALERIUS MAXIMUS, »post religionem ponenda semper nostra civitas duxit, »etiam in quibus summae majestatis conspici decus »voluit." [2] Quare et CICERO: »Nec robore Gallos, »inquit, nec calliditate Poenos, nec artibus Graecos.... »sed pietate ac religione.... omnes gentes nationesque »superavimus." [3] Dein alio loco: »Si conferre volumus

[1] De legib. L. IX.

[2] De dictis factisque memorabilibus, lib I, cap. 1, n. 9.

[3] De haruspic. responsis, c. 9.

»nostra cum externis caeteris rebus aut pares aut etiam »inferiores reperiemur, religione i. e. cultu Deorum »multo superiores." [1] Quin et huic religioso sensui imperium Romanorum in universum terrarum orbem adscribunt multi. »Non mirum, ait VAL. MAX., si »pro eo imperio augendo custodiendoque pertinax »deorum indulgentia semper excubuit, quod, tam scru»pulosa cura, parvula quoque momenta religionis exa»minare videtur; quia numquam remotos ab exactis»simo cultu caeremonarium oculos habuisse nostra »civitas existimanda est." [2] Cui respondet insigne MONTESQUIEVII testimonium, »Rome était un vaisseau »tenu par deux ancres dans la tempête, la religion et »les moeurs." [3]

Verumenimvero dubium nobis vix est, quin plurimi antiquorum philosophorum veritatem hanc inviti agnoverint. Ea siquidem plurimorum mens fuit et animus, ut sacris, quae ut ridicula superstitione imbuta homini docto spernenda haberent, eam solummodo tribuerent vim et efficaciam, ut plebs avitos servaret mores, sinceramque legibus praestaret obedientiam. Non enim verum a falso distinguebant et adeo verum simul ac falsum rejiciebant, sicuti plures etiamnum omnem omnino Religionem ob infinitam Religionum varietatem philosopho esse plane indignam antumant et revera dolent de vi et efficacia Religionis, quam inviti agnoscere debent. Quo antiquitus, sicut et hodie, factum est, ut deplorabili inconsequentia in theatris, orationibus ac omni demum data occasione eadem sacra uti praejudicia et figmenta imaginationis plane ridenda ipsi populo objicerentur. Verum quis

[1] De Nat. Deor. L. II, cap. 3.
[2] De dictis factisque memorabilibus, Lib. I, cap. 1, n. 8.
[3] MONTESQUIEU, Esprit des Lois. Liv. VIII, ch. 13.

non videt eam praecipuam fuisse causam monstruosae morum licentiae, quam in postremis Reipublicae temporibus omnia Romae penetrare conspicimus. Paucissimi siquidem Stoici ingenti Epicureorum numero cedebant, quae fuit ratio, nisi quod maxima civium pars, relictis avitis moribus, licentiae effrenaeque libidini projiceretur, totaque Romana civitas, omni pristinae reipublicae virtute destituta in suam perniciem rueret.

Quid dicamus de hodierna tantopere a quibusdam philosophis laudata civitate? Ubi est jactatus ille progressus, quem generi humano cognoscunt et crescere quotidie clamitant? Ingentia undique exsurgunt civitati discrimina. Crescit in dies pauperum numerus. Jus majoribus inconcussum, hodiernis quibusdam obsoletum, jus, inquam, dominii, conditio procul dubio necessaria civitatis nec minus proemium laboris et stimulus, armata vi sustineri vix potest. Spreta demum Religione et contempto nativo hominis religionis sensu, labente propterea morum integritate atque sanctitate *fit via vi.* En progressum, quo tandem pervenimus! Pauca dumtaxat testimonia afferre nobis liceat, ne quibusdam inepte garrire videamur: «Y a t'il du bien? Qu'est ceque le mal? Qu'est ce que le bien? Il n'y a pas de mal. L'enfer est un mensonge; le mal une chimère. LERMINIER.[1]

Pour une existence étrangère, pour un être non à moi, être plein de sollicitude, d'intérêt et d'amour, est une hypothèse absurde. DAMIRON.[2]

Quelle loi, quelle société, quelle église, quelle religion, je ne dis pas quel homme, mais quelle insti-

[1] Revue des deux mondes, Tom. VII, p. 744.
[2] Cours de philosophie, Tom. I, p. 61 etc.

tution, qui ne se donne aujourd'hui pour une ombre, et qu'on ne traite en ombre? Quinet. [1]

La souveraineté du peuple est éternelle, c'est la traduction humaine de l'omnipotence de Dieu et la plus grande idée qui puisse avoir cours sur la terre.... c'est un dogme, une religion, le seul vrai système. Lerminier. [2]

La religion bientôt ne sera plus bonne que pour les chiens. Comte. [3]

Talia proferunt, qui hac nostra aetate semetipsos, quasi dignitatis humanae restauratores extollunt. Verum commiseratione indigent, transcendentali quippe agitati furore, ac vana specie progressus decepti, in profundum praecipites ruunt, quo tandem nimia luce perculsi, obscuri caecutiunt. Ast ardet animo vulgus, exspectato progressui inhiat, adeo ut, nisi Deus providentissimus eorum progressibus obsistat, brevi ruitura sint, quaecumque homini utilia, necessaria et veneranda esse conspiciuntur.

Vera Dei scientia primum est disciplinae moralis fundamentum, quae insuper nititur naturae humanae spiritualitate, libertate et immortalitate; nulla autem est harum veritatum, quam absurdis opinionibus non vitiaverint variae antiquorum et recentiorum scholae. Quare non immerito dixerimus, quod suo jam tempore Cicero: »Nescio quomodo nihil tam absurde dici potest, »quod non dicatur ab aliquo Philosophorum." [4]

Quamvis itaque profiteamur, humanam rationem jam firmatam et evolutam sufficere, ut quaedam specialia officia saltem praecipua aliquatenus cognoscat et per-

[1] Revue, Tom. I, 3me série, p. 367.

[2] Revue, Tom. I, 3me série, p. 279, 281.

[3] Cours d'astronomie, p. 92

[4] De Divinatione, Lib. II, cap. 58.

cipiat nihilominus eamdem sibi soli relictam, omni destitutam revelationis lumine, ab omni Divina auctoritate immunem aut eam abnuentem ineptam esse, fateamur necesse est, ut legis naturalis officia detegat, dignoscat, ac cum propria dicta certitudine in corpus doctrinae colligat. Quid ergo; nisi Divinam insuper agnoscamus Philosophiam, mentisque nostrae imbecillitatem candide profiteamur. «Notre raison, ut »ait BAYLE, n'est propre qu'à brouiller tout, qu'à »faire douter de tout: elle n'a pas plutôt bâti un »ouvrage, qu'elle nous montre les moyens de le ruiner. »C'est une véritable Pénélope, qui pendant la nuit »défait la toile, qu'elle avait faite pendant le jour. »Ainsi le meilleur usage qu'on puisse faire de la philo»sophie est de connaître, qu'elle est une voie d'éga»rement et que *nous devons chercher un autre »guide, qui est la lumière révélée*".[1] Sunt quibus obsoleta certe videtur Christiana philosophia; ast prius quid aedificent quam omnia destruant. Verum enim vero:

Jam vaga prosiliet frenis natura remotis.[2]

Quum Deus sit ordinis moralis conditor, conservator, remunerator et vindex, quum ad Eum ejusve gloriam ordo moralis referatur, planum est, Deum ab homine, ut congruit et necesse est, non coli, nisi homo omnia ordinis moralis officia, quae Deum, semetipsum et proximum spectant, recte adimpleat. Omnia igitur ordinis moralis officia speciem habent Religionis: qui enim ea congrue exequitur, Deo obtemperat, qui vero voluntarie ordinem perturbat, Deo resistit. Religionem ideo a morum integritate et sanctitate non sejungentes, hoc fere modo spectamus,

[1] Dict. crit. art. Brunel.

[2] HORATIUS, Lib. II, Sat. VII v. 74.

quatenus omnia ordinis moralis officia complectitur, officia videlicet imperfecta simul et perfecta. Porro officia perfecta, jure stricto, quod passim solo juris nomine venit, constituuntur; juri nimirum, sive justitiae, quum ad necessarias conditiones societatis constitutivas referatur, necessario respondet coactio. *Fiat justitia ne pereat mundus.* Ea attamen est indoles consociationis hominum, quae eorum naturae accurate respondeat; quum igitur homines intellectu et libera voluntate caeteris animantibus praecellant, eorum societas non est mera proximitas et juxta se invicem positio; hoc utrumque corporum omnino materialium proprium est, nec hominibus congruit, qui loco et tempore dissiti, nihilominus consociantur. Societas hominum, praesertim intelligentiarum conjunctio est, adeoque communi fide, mutuis officiis et praesertim charitate, concordia et mutuo amore, non vero alia ratione colligantur. Quae quum ita sint, manifestum est, ut jam monuimus, hominum societatem duplici legum ordine moderari, charitate nimirum et justitia: quae quasi duae ejusdem matris filiae intimo nexu conjunctae ad humanae societatis finem properant. Finis hic idem est ac individuorum, perfectio videlicet et felicitas seu perfectionis et felicitatis ab homine necessario exoptatae subsidium et incrementum. Consistit porro in securitate tum individua tum sociali nec minus in prosperitate. Huc spectant leges. Humanae tamen leges nec omnia prohibere possunt societati nocentia, nec omnia praecipere virtutes eidem faventes. Quae et qua ratione nixa erit pietas, quae humanitas, quae benevolentia? Quo vinculo conjungentur cives, qui, secluso Deo, nulla mutui amoris sed putidi egoismi lege tenentur?

Quibus legibus temperari poterunt ira, odium, vin-

dicta, avaritia, libido, ingratus animus et innumera vitia et crimina, quae intra domestica limina foventur et patrantur. Atheo nulla est justi et injusti, honesti et inhonesti naturalis differentia, sed utilitate aut voluptate omnia dimetiri constat. Ipsi legislator nullo potiri potest vero jure imperandi. Quid demum ipsi jus est; nisi jus seu potius vis fortioris? Religio contra, si omnia non cohibeat crimina, sane plurima cohibet, quae impietas cohibere non valet, idque sufficit, ut eam tamquam ingentissimum beneficium veneremur. Tristissima quod si Religionis specie patrata sunt et patrantur mala, eidem tamquam eorum causae tribui minime possunt. Non sunt nisi Religionis abusus et ipsius impietatis effectus, ab ipsa Religione reprobati; impiis enim accenseri debet, qui religione abutitur. Egregie hanc Religionis praestantiam illustrat Ancillon: »Ce »qui se rapporte au fini a une valeur plus ou moins »grande; ce qui a du rapport avec l'infini a seul du »prix. La Religion a donc un prix infini, parce »qu'elle se rapporte directement à l'infini. On en dit »beaucoup de mal cependant. Mais tout le mal, qu'on »dit de la Religion, qui est le feu céleste et sacré, »on pourrait le dire également du feu terrestre, et »tout le bien, qu'on dit du feu, on peut le dire de »la Religion. Le feu produit tout, conserve tout dans »la nature: il détruit et consume tout. La Religion »produit et conserve tout dans le monde moral; mais »la Religion dégénérée, la superstition et le fana»tisme décomposent le monde moral et le detruisent. »Le feu est l'agent et le ressort principal de tous les »arts mécaniques, la Religion est le principe vital de »tout les arts de l'imagination, comme elle est le »couronnement de toutes les sciences." [1]

[1] Ancillon, Essai de Phil. Chap. 15.

Intimum itaque Religionis ac Ethices cum jure nexum jam satis superque ostendimus. Innumera siquidem hodie Religionum adinventa existant, diversaeque de moribus vigeant opiniones, quae philosophorum non tantum, sed et rudium animos obruunt, quid, quaeso, dicamus de rationibus inter sacerdotium et imperium? »Maxima, uti legimus Justiniani nov. VI praef., quidem »in hominibus sunt dona Dei, a superna collata clemen»tia, sacerdotium et imperium; et illud quidem divi»nis ministrans, hoc autem humanis praesidens ac »diligentiam exhibens. Ex uno eodemque principio »utraque procedentia humanam exornant vitam...... »Bene autem omnia geruntur et competenter, si rei »principium fiat decens et amabile Deo. Hoc autem »futurum esse credimus, si sacrarum regularum obser»vatio custodiatur, quam justi et laudandi et adorandi »inspectores et ministri Dei tradiderunt, apostoli et sancti »patres custodierunt et explanaverunt." Sacerdotium et imperium quam amica societate tunc temporis conjungerentur, haud aegre intelligitur vel ex eo quod Ethnicorum aliorumque de religione systhemata, ingenti morum corruptione imbuta, imperium praecipuo jam destitutum praesidio in perniciem traherent. Nunc autem quum plura exstent religionum instituta, quae morum integritati atque sanctitati haud ita adversantur, singulis sine dubio, temporum necessitate exigente, auxilium et opus ab imperio praestanda sunt. Sunt tamen qui tristissimo hodie favent principio, *la loi est athée*. Verum, si una omnium animos communi amoris vinculo non colligat Religio, non eo tamen pervenimus ut, non nisi impietate conjungamur. Admissa etenim religionum discrepantia, ea vindicet imperium, quibus omnia quaecumque Religionum adinventa respondere oportet, ne morum honestati, charitati et justitiae noceant, nedum

consulant. Haec sunt fundamentalia ordinis moralis dogmata, quae ita menti nostrae inhaerent, ut obscurari populorum libidine atque licentia aliquo tempore possint, ast novo brevi splendore relucent. Ne igitur in tanta Religionum diversitate, tutela et defensio, quam Religio praestolatur, ita suscipiatur, ut in onus magis quam in beneficium cedat; eo potius tendat, ut legibus ex aequo impietas coerceatur, ut in publica praesertim juventutis institutione, prima omnis Religionis principia non impune negentur; dein, ut in theatris non ea ludibrio habeantur, quae omnes ubique terrarum gentes venerantur. Quid tandem obest, ut leges ferantur poenales, in sacrilegia, blasphemias, perjuria caeteraque irreligiositatis crimina, quae nostra aetate tot tantaque contingunt; et eatenus etiam jactata illa preli libertas coerceatur? Certo certius imperii non est, ut specialem aliquam vi et igne religionem subjectis imponat et conscientiae libertatem plane tollat. Non tali auxilio eget veritas. Ast publice Deus non impune negetur et fons veri, boni et aequi incolumis permaneat. Tum demum scientiis metaphysicis idem obtinget progressus, quem hodie scientiis physicis, pleno jure agnoscimus. Id nimirum intercedit inter duplicem scientiarum ordinem discrimen, quod leges necessariae physicae rejici ab homine non possint, sed inquirantur, excolantur, applicentur. Ordo moralis contra misero libertatis abusu a multis hodie rejicitur, quo fit, ut quaecumque tradant, omni prorsus fundamento destituantur, et merito inter somnia et deliria recenseantur. *Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam.*[1]

[1] Psalm, CXXVI. v. 1.

TANTUM.

THESES.

I.

Judex legem applicare tenetur etiam quoad ea, quae legi fundamentali repugnant.

II.

Verba JUSTINIANI Institutionum Lib. I. tit. 12 § 5: »Si vero ibi decesserit, exinde ex quo captus est pater, »filius sui juris esse videtur"; non indigent fictione legis Corneliae, ut explicentur.

III.

Verba art. 175. C. C. »tenzij de erflater of de »schenker uitdrukkelijk het tegendeel mogt hebben »bepaald;" etiam ad portionem legitimam referuntur.

IV.

Verba art. 961 C. C. »welke het kind bij versterf »zoude hebben geërfd."

»....van hetgeen, hetzelve bij versterf zoude er»ven."

»....van hetgeen elk kind bij versterf zoude gehad »hebben."

inadaequatam portionis legitimae enuntiationem continent.

V.

Objectum obligationis alternativae est aliquid indeterminatum; donec facta fuerit electio ab eo, ad quem eligere pertinet vel interitu rei unius pluriumve objectum obligationis certum et definitum evaserit. Duarum una res non debetur, nisi posito, quod non detur altera; quare utraque sub conditione in obligationem ducitur: id enim, quod non detur haec vel illa res, dependet ab eventu incerto et futuro. Ipsa tamen obligatio alternativa conditionalis non est.

VI.

Tum articulus 1311. C. C. in verbis: »indien beide »zaken zijn verloren gegaan, en de schuldenaar oorzaak »is van het vergaan van eene van beide, moet hij de »waarde betalen van die zaak, welke het laatst is te niet »gegaan." tum articulus 1312. in verbis: »ingeval beide »zaken zijn vergaan, kan de schuldeischer, indien zulks »ten aanzien..... zelfs van eene derzelve, aan de schuld »van den schuldenaar is toe te schrijven, de waarde

» van de eene of de andere vorderen, naar zijne keus," non satis distinguendo, a stricti juris principiis deflectit.

VII.

Quod attinet art. 1311., si res prior culpa debitoris, res posterior casu fortuito intereat, pretium rei prioris, non posterioris a debitore solvendum esset; quantum autem ad art. 1312., si res prior casu fortuito, res posterior culpa debitoris intereat, pretium rei posterioris a debitore solvendum esset, nec creditori optio relinquenda. Errant attamen, qui ita legem intelligendam censent; verba namque ita clara sunt, ut hanc interpretationem non patiantur.

VIII.

Donatio latissime spectata, neque est modus acquirendi dominii neque contractus; propria donationis natura consistit in causa liberalitatis, estque adeo proprietas sive color actus alicujus juridici, sive hic sit modus transferendi dominii, sive contractus, sive legatum.

IX.

Plenissima concurrendi libertas absque Religionis auxilio ac universa morum probitate, utilitati publicae consulere vix potest.

X.

Pauperibus, jure naturali, jus petendi ea, quibus

indigent, competit, quod si ipsis civitas id jus adimit, obligationem sibi imponit, iisdem succurrendi.

XI.

Accedimus MONTESQUIEVIO, Grand. et Dec. des Romains. chap, 8, ubi inquit: »Plus d'états ont péris, »parcequ'on a violé les moeurs, que parcequ'on a »violé les lois."

XII.

Verissimum est, quod dicit MONTESQUIEVIUS, Esprit des lois L 31, chap. 2. »Il faut éclairer l'histoire »par les lois et les lois par l'histoire."

